



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLUM LX.

Ceyx & Alcyone, in halcyones aves.

11. *Metamorph.*

Ethicè.

1. Conjugalis fides & amor. 2. Dura prolis educatio. 3. Amor in ipso sepuchro. 4. Difficilis delectus matrimonium ineuntium.

Ceyx Luciferi, sideris matutini, fuit filius, Trachiniorum in Thessalia rex. Uxor ejus *Alcyone*, Æolo nata. Summus extitit amor inter hos conjuges, summa concordia, fidesque. Cæterum arrogantior fuisse Ceyx perhibetur: cui ob generis splendorem, opes, & formam corporis adeò creverant animi, ut se *Iovem*, uxorem verò suam *Junonem* appellaret, non sine gravi offensione superùm, qui variis eum prodigiis terruerunt. Quare cladem sibi aliquam metuens ex Thessalia ad Apollinis Clarii (est autem Claros seu Clarium civitas Joniæ) oraculum, consulturus vaticum Deum, navigare constituit. Uxor intellectò viri periculò, multis rationibus dissuadere iter maritimum institit; sed quanquam omnes ad animum mariti expugnandum arietes, omnesque blanditias admoverat, eum tamen à suscepto consilio revocare non potuit. Navigat ille, & facto naufragiò, cum sociis omnibus, mari submergitur. Conjugi de viri fortuna supra modum sollicita, apparet in somnis, squalida mariti facies, qualis marinis fluctibus jactabatur. Territa Alcyone miserabili aspectu, summo diluculo ad mare, unde Ceyx solverat, gradum confert; ubi dum planctibus & lacrimis auras implet, ejicitur in litus vi fluctuum, exanime, & lacerum *Ceycis* cadaver. Quò agnitò, dolore amens facta, è crepidine littoris in subjectum pelagus se præcipitem dat: & in ipso casu, miseratione Deùm, in *alcyonem* avem mutatur; Ceyx verò in masculum ejusdem generis vertitur.

Ethica.

- I. (a) Conjugalis fidei & amoris non simulatì, paradigma præbent hi conjuges, quorum benevolentia & mutua dilectio, ne violentà quidem

(a) *Conjugalis fides & amor.*

quidem morte tolli, obliterari potuit. Nam 1. magnus amantis affectus in Alcyone se prodidit, dum maritum à profectione marinâ, ejus salutis impensè timens, omnibus modis deterrere laborat.

2. Apparet in Ceyce amor mutuus, dum in sævissima tempestate & naufragio, conjugis magis, quàm suimet memor, omnes cogitationes in relictam suam Alcyonem intendit, Poëta canente:

Alcyone Ceyca movet: Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est: & cùm desideret unam,
Gaudet abesse tamen.

3. Alcyonis pro marito absente sollicitudo assidua, & precatio ad Junonem pro ejus salute. Quæ ut ne sit inanis, Dea nuntiam suam Irim ad somnum mittit, jubetque, ut is miseræ dormienti virum Ceycem in mediis aquis morientem, spectandum figuret. Quod & factum.

4. Egressa ad littus Alcyone, exanime corpus naufragi, ad se propius delatum agnoscit. Quid ibi ex dolore non facit? Vates describit:

----- Ille est, exclamat: & unâ
Ora, comas, vestem laerat: tendensque trementes
Ad Ceyca manus: sic ô charissime conjux,
Sic ad me miserande redis?

5. Præ amoris magnitudine in molem portui præstructam insilit

----- mirumque fuit, potuisse; volabat:
Percutiensque levem modò natis aëra pennis,
Stringebat summas ales miserabilis undas:
Dumque volat; mœsto similem, plenumque querelæ
Ora dedere sonum tenui crepitantia rostro.
Ut verò tetigit mutum, & sine sanguine corpus;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida necquicquam duro dedit oscula rostro,
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere sit visus, populus dubitabat: at ille
Senserat & tandem superis miserantibus, ambo
Alite mutantur, fatis obnoxius iisdem

Tunc quoque mansit amor, nec conjugiale solum est
Foedus in alitibus: coeunt, fiuntque parentes:
Perque dies placidos hiberno tempore septem
Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis,

Tum

Tum via tuta maris : ventos custodit, & arcet
Æolus egressu: præstatque nepotibus æquor.

Itaque 6. mansit amor conjugalis etiam post fata in illis, & jam facti aves, affectum tamen humanum & amorem retinent.

7. Adeo placuit Diis hæc conjugum dilectio, ut in istarum avium nidulatione, quæ sit media hieme, magna tranquillitate gaudeat mare, unde in proverbium abiit. *Dies Halcyonii*, seu *Halædonia* aut *Alcedonia*, pro tranquillitate, quiete, feriis, justitio accipiuntur. Illis enim diebus, silentibus planè ventis, summa est cæli serenitas. En præmium concordia maritalis, quod etiam defunctos sequitur.

8. Halcyonum nidi magnam admirationem habent, ut refert Plinius lib. 10. c. 32. Qui inter alia, hæc: Alcyon (sive Halcyon, aut Alcedo, *αἰκὼν ἢ χάλκων ἐν αἰθέρῳ*): hoc est, à concipiendo in mari) avis est colore cœruleo, luteoque, vix major passere, quæ suo cum conjugæ amore & societate indivulsa sociatur, senem etiam humeris defert, nutritque. Pisciculis vescitur, ex quorum spinis artificiosè nexo, viscosoque luto adeo solidum, pineæ nucis in formam, nidum conficit, consolidatque, ut ferro diffringi, saxoque comminui vix possit; ostiolò ita conditò, ut abditum cæteris avibus, & nec ipsi mari pervium, tanquam spongia, intranti, exeuntique cedat alcyoni. Hæc ille. Observa felicitatem unionis & fidei conjugalis, quæ nullis rerum adversarum tempestatibus, nullis armis & terroribus violari queat; firma persistit, contra quamlibet vim foris ingruentem, sibi ipsa murus aheneus, & inexpugnabile munimentum. Ovidius, ut taceam plura huius generis exempla, uxoris suæ fidem rebus in asperis prædicat, maritum in exilium sequi omnino cupientis. Eleg. 7. Trist.

Non potes avelli: simul hinc, simul ibimus, inquit,
Te sequar, & conjux exulis exul ero.

Et mihi facta via est, & me capit ultima tellus:
Accedam profugæ sarcina parva rati.

Simili modo Creusa Æneam suum in omnia pericula comitari parata est:

Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum.

Hic etiam, nota Castitatem conjugalem, nam in nidum alcyonum nulli avium patet accessus, nisi conjugibus.

9. (b) Educatio prolis in alcyonibus laudanda; rigor enim disciplina robustos & valentes efficit liberos. In cujus rei exemplum

S. Am-

(b) Educatio prolis dura.

3. Ambros. lib. 5. Hexam. c. 3. has aves proponit, quæ juxta mare, tempore brumali, pullos excludunt, & nudos exponendo frigori, mari, ventis, durè educant. Talis liberorum educatio olim apud Germanos, Celtas, Thraces, Spartanos celebrabatur, de quibus Virgilius. 9. Æneid.

Durum à stirpe genus: natos ad flumina primùm
Deferimus, lævòque gelu duramus in undis.

Cæsar de Gallis lib. 6. Bell. Gall. In flumine perluuntur, & pel-
libus, aut parvuis rhenonum integumentis utuntur, magna corporis par-
te nuda. Celtae verò prolem natam ad Rhenum deferebant, clypeoque
impositam, in gurgitem projiciebant; si undis abriperetur, notham cen-
sebant: si enatabat, suam. Turneb. lib. 22. c. 15. Claudianus in Ruf-
inum.

Et quos nascentes explorat gurgite Rheus.

De Spartanis Seneca Rh. Suaforia. 1. Eurotas annis Spartam cir-
cumfluit, qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.

Et Sidonius in Avito.

----- lætèntia primùm

Membra dedit nivibus, glaciémque irrepere plantis
Jussit, & attritas parvum ridere pruinas.

De Honorio Claudianus Paneg. 3. Quem genitor docuit

Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,

Æstivum tolerare jubar, transnare sonoras

Torrentum furias &c.

Mollem adolescentem notat Horatius lib. 1. Od. 8. quòd timeat
flavum Tiberim tangere; id est, natatui se committere. Non incon-
gruum huic est loco, quod de Lycurgo, Lacedæmoniorum Legislatore
narratur; qui quanta vis sit educationis, civibus suis ostensurus, duos
catulos ejusdem matris assuefecit, unum venationi in silva, alterum in
culina, patinis ablingendis; quò factò, ad diem dictum produxit utrum-
que in forum; & hinc quidem lebetem carniùm posuit: illinc leporem
dimisit; currentibus è vestigio canibus, illò ad escas, hòc ad leporem.
Plutarch. in Lacon. Unde apparet, quantum momentum in institutio-
ne prima sit positum; quod ut faciant homines, docent alcyones. Vi-
deas puerorum alios tantùm ad fruges consumendas natos; alios ad ar-
tes liberales venandas factos. Equidem ferè conjuncta sunt, edacitas
& stoliditas. Lacedæmonii pueri decimo quoque die *Ephoris* (id est

Censoribus publicis) sistere se cogebantur. Hi, quem molliorem, pinguioremque cernebant, plagis onerabant. *Plut.* in Lacon. Si mos hic pluribus vigeret in locis, ne pauciores essent Bœotii, & rarior stupiditatis ac hebetudinis prœventus.

10. Denique Plutarchus libro, utrùm terrestria, an aquatica animalia plus rationis habeant, alcyonem sapientissimum, & divinissimum marinorum animal appellat. Hæc enim avis, gravem annis comparem, & ægrè sequentem, susceptâ curâ fert, fovetque senem, nusquam destituens, nusquam post se relinquens: nam & dorso impositum gestat, magnò charitatis conjugalis argumentò; quæ pari affectu floridam & blandientem juventutem, & ægrescentem senectam fovet, & amplectitur. Quid quod aves istæ feruntur adeò tueri jura conjugii, tam ardentè amare se mutuò, ut altero mortuo, simul occidat alter.

11. (c) Atque hæc de alcyonibus. Exempla amoris conjugalis alibi commemoramus, hic duò placet apponere, etiam post mortem prodigiosa. Auctorem prodo S. Gregorium Turonensem lib. de Gloria Confess. c. 42. de duobus conjugibus, qui se etiam mortuos complexi sunt in sepulchro. Admetior ejus verba: Defuncto Hilario, viro senatorio, vertente anno obiit & uxor, quæ cum eodem tumulo satis capaci conderetur, *subitò elevatâ vir dextra*, conjugis cervicem amplectitur, quod admirans populus, deposito secessit operculo, cognovitque, quæ eis castitas, quis timor in Domino, quæ etiam inter ipsos dilectio fuisset in sæculo, qui se ita amplexi sunt *in sepulchro*. Huic subjungit & alterum, non minùs admiratione dignum, par conjugum, qui suam illibatam sponso Virginum, castimoniam consecrârunt: Uxorem priùs vita functam, non multò post maritus insequitur. Porro cum utriusque sepulchrum è diversis parietibus collocatum fuisset, & virum quidem ad meridiem, mulierem ad septentrionem; miraculi novitas, quæ eorum castitatem manifestaret, apparuit. Nam manè factò, cum ad locum populus accederet, invenit sepulchra conjuncta, quæ antè distantia viderat. Scilicet ut quos tenet socios cœlum sepulcorum, hic corporum non separet monumentum. Hos usque hodie *duos Amantes* vocitare incolæ loci voluerunt. lib. cit. c. 32. Ita qui in vita castè & unicè dilexerunt se, *in morte non sunt separati*.

Sed quàm rare sunt aves hæ! Pleròsque maritatos si interrogas: quid est conjugium? respondebunt, *Iugum*, & nimis quidem quàm grave. Colligati sunt vinculo non byssino, sed ferreo, veluti duo canes rixosi una

(c) *Conjugum amor in ipso sepulchro.*

si unâ catenâ. Paulus de hoc vinculo 1. Corinth. 7. *Alligatus es uxori, noli querere solutionem.* Vinculum durum, adamantinum, sola morte solvendum; quod tamen emollit eharitas, & onera connubii in dies Halcionios convertit.

II. (d) Hic nota, quemadmodum magna felicitas est, reperire uxorem bonam, ita magna difficultas est, eligere, quæ sit bona. Nam sæpe, inquit Vir disertus, (Georg. Stengel. tom. 2. de Judic. diu. c. 22.) quæ pudore vultûs, oculorum dejectione, modestissimo incessu *Angelum* præ se fert, & est virginum exemplar, si eam de fronte æstimes; at si mores experiaris, in Sphingem, aut Harpyiam incidisti. Accipe vetus documentum, quisquis Alcyonem domum ducere cogitas:

Quæ tibi ducenda est, habeat P. quinque puella:

Sit Pia, sit Prudens, Pulchra, Pudica, Proba.

Hoc sibi etiam nupturæ dictum putent de futuro marito. Martia Catonis filia, interrogata, quam ob causam, post mariti mortem alii se copulare viro renueret? Respondit, quia non facilè invenero virum, qui me magis velit, quàm mea. Non nemo ita canit:

Ergo mihi uxorem qualem ducam? Anne puellam?

Hæc forsàn veniet non satis apta mihi.

An viduam? dominam quis possit ferre tonantem?

An vetulam? tolerat quis patienter anum?

Fœcundam? fœcunda domum mihi prole gravabit:

An sterilem? sterilis non decus arbor habet,

An ditem? magis est nihil intolerabile dite.

Ast inopem? quid opis ferre valebit inops?

Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo.

Verbosam? mulier res onerosa loquax.

Formosam? variis est subdita forma periclis.

Deformem? pœnam ducere nunquid amem?



Y y 2

SYM-

(d) *Difficilis delatius matrimonium inviro volentium.*